



MAHOMETVS ex stirpe Ismaëlis oriundus, in Arabia humili loco natus, inops, ac orphanus, captus est ac vēditus mercatori cuidam diuiti, qui eum mercimoniis præposuit. hero mortuo vxor eius vidua ac vetus nupsit Mahometo robusto iuueni; qui à Sergio monacho hæretico praua imbutus opinione, diuinitatem quandam inde sibi adstruxit, quam leuissimo hominū generi facilè persuasit: cūque epilepsia laboraret, conspectum se Angeli Gabrielis minime ferre posse cōminiscebatur: sunt etiā qui prodant assuefactam columbam ei ad aurem aduolasse, grana in aure captaturam, mentitūque eum hanc esse spiritum sanctum. hic vinū lege prohibuit: plures vxores permisit: paradisum etiam voluptarium constituit: legem suam armis tutari sanxit. Hic itaque rerum successu elatus, Syriam vastat, Damascum expugnat: in Persas mouet: à quibus victus Scenitas Arabes, Romanæ assuetos militiæ, ab Heraclio, ob negata stipendia deficientes, adiungit. Sic stabilito paulatim imperio, an. ætatis 40. veneno, vt aiunt, à cognatis ad quos vxoris hæreditas spectabat, inter epulas immixto, interiit spurcissimus ille: cuius tandē superstitione Romanorum principum ignauia, eò creuit, vt iam non Asiam solum, & Africam, sed bonam Europæ partem infecerit. Vide Egn. lib. 2. Pom. Læ. Blon. lib. 9. Deca. 1. Chro. Antonini. titu. 13. ca. 5. hunc Turci vocant Mehemet, alij autem Muhamet.

CADIGA, seu Tadiga Mahometi hera, cū vidua esset quinquagenaria, ac diues nupsit seruo suo Mahometo, à Sergio monacho, vti censet Pom. Læ. persuasa. hic Mahometus primò Cadigæ camelis ad negotiandū utebatur: cūque veniret in Palestinā cū Iudæis & Christianis versatus, religionemque eorū edoctus, ex his duabus doctrinis mixtis, vnā quandā tertiam ac nouā confinxit circa ann. mun. 4586. à Christo nato 624. Vide Ab. Vrsper. in Heraclio Imper. & Volater. lib. Geographiæ 12.